



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

72. An Hæreticus non denunciatus possit absque incursione
excommunicationis in Ecclesia sepeliri? Et an hoc extendatur ad
Hæreticorum fautores, & defensores? Et an percent, qui cum Hæreticis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

volunt eos solos hanc pœnam incurtere, qui propriis manibus cadaver fossæ imponunt, quia hi soli proprie dicuntur sepelire, & verba pœnam importantia in rigoroso sensu sunt accipienda. Ita Cajetan. *ver. excommunicatio. c. 46. Navar. c. 27. num. 1. 7.* & alij: ob quorum auctoritatem hæc sententia videtur non esse improbabilis, & verba legis in rigore possent huiusmodi accipi. Quid ego sentiam accipe. Dico igitur per eos, qui sepeliunt, etsi in rigore, qui propriis manibus tradunt sepulturæ intelligi videantur; attamen ex consuetu vsu comprehenduntur etiam mandantes, non autem comitantes, & alij qui defecunt crucem, & lumina, vel etiam cantant, proprie enim hi non dicuntur sepelire. Nec etiam cooperantes remotè, aut negative, quia scilicet non impediant, cum possent, nisi favor tantus esset, ut jure dicerentur auctores. Et ita docent Suarez, *disp. 12. scilicet. 4. n. 10. Coninch de Sacram. disp. 14. dub. 8. n. 68.* Filliuc. *tr. 1. tr. 12. c. 5. n. 1. 1.* Mercerus, *de Sacram. in 3. p. q. 21. dub. 7.* & Megalius, *in 3. p. lib. 2. c. 6. q. 1. n. 15.* vbi asserit ligari hæc excommunicatione eos, qui sepelire faciunt, cuiusmodi sunt hæredes, aut consanguinei, ad quos hoc pertinet, & Rectores atque Clerici Ecclesiarum, vbi cadaver sepelitur, nam & ipsi sepelire dicuntur, quamvis propriis manibus hoc non faciant, ut probatur ex cap. ad hæc, de privil. vbi hospitalarij, de quibus ibi, sepelisse dicuntur, & tamen non est verisimile, hoc illos fecisse propriis manibus. Nam quamvis mandantes regulariter non comprehendantur in censura lata contra facientes, tamen comprehenduntur quando alioquin esset frustratoria, vel quasi, ut probatur ex c. si cœritas, de sent. excomm. Verùm sententiam Cajetani & Navarri, non puto improbabilem, quam ex Henriquez, & Avila docet etiam Bonac. *de cens. disp. 2. q. 2. punct. 3. §. 3. n. 8.*

2. Non desinam tamen hic adnotare aliquos docere quod qui excommunicatos, etiam hæreticos notorios, sed nondum denunciatis, in loco sacro sepeliunt, non incurrunt excommunicationem *Clem. 1. de sepulturis*, latam adversus eos, qui excommunicatum scienter sepeliunt, neque incurrunt excommunicationem, *cap. quicumque de hæretic. in 6.* latam contra eos, qui hæreticos, eorumque fautores, &c. scienter in loco sacro sepeliunt; denique neque locus sacer sepultura excommunicati, aut hæretici nondum denunciati violatur. Hæc est communior, quam leges apud Navar. *c. 27. man. n. 137.* Henriquez, *lib. 1. c. 11. §. 3.* Egidi. *tom. 3. disp. 14. in fine, dub. 10.* Avilam, *part. 2. c. 6. disp. 10. dub. 6.* Nam eo ipso quod tales vitandi non sunt, sed tolerati, nulla ex ipsorum communicatione à fidelibus, aut sacris locis censura incurrì potest, & ita etiam docet Layman, *lib. 2. tract. 5. part. 2. c. 4. n. 8.*

RESOL. LXXII.

An Hæreticus non denunciatus possit absque incursione excommunicationis in Ecclesia sepeliri?

Et an hoc extendatur ad Hæreticorum fautores, & defensores?

Et an peccent, qui cum Hæreticis quibuscumque non denunciatis simul orant, vel concionem sacram, aut Missam audiunt?

Et an Ecclesia, in qua sepeliuntur Hæretici, (modo quo supra,) aut excommunicatus non denunciatus, remaneat polluta?

Et notatur, quod si aliquis reperiretur mortuus in puteo, vel laqueo suspensus non est statim privandus Ecclesiastica sepultura.

Et aliqua alia docentur, que coningere possunt in supra-

§. 1. Affirmativam sententiam docet Henriquez, *Sup. hoc sup. lib. 13. cap. 11. n. 3.* vbi sic ait: [Prohibetur Christiani propriis tantum manibus deponere in sepulchro loci sacri cadaver ejus, qui faciat publice denuncias, & incurrunt excommunicationem majorem, si id scienter præsumant. Si tamen denunciatus non fuerat, non peccat sepeliens: quia sepultura pertinet ad divinum Officium, in quo tunc tantum peccat, cum inducit excommunicatum non paratum: in proposito autem constat, non peccare cadaver defuncti. Sub eadem excommunicatione prohibetur sepelire Hæreticos; vel illorum fautores. Qui casus sub priori comprehenditur, in quo oportet fuisse denunciatus de hæresi.] Ita ille.

2. Confirmatur hæc opinio ex his, quæ notat Hæreticus Nicolaus Millerus, in *addit. ad Comm. Martini Rumelini Super Auream Bullam Caroli IV. part. 3. differt. 2. num. 6.* vbi ita asserit: [Observandum, cum ad antiquissimam Pataviæ Academiam innumeri studiosi Augustinæ Confessionis, ac Reformatæ Religionis addicti accedere solent, ubique sæpe unus vel alter, ut fert fortuna mortalium, è vivis decedat; Serenissima Respublica Veneta nationibus hæc exotici, etiam si diversæ Religionis sint, singulari privilegio jus sepulturæ in Ecclesiis concessit. Quod jus, cum meo tempore, Anglo cuidam Reformatæ Religionis pie defuncto ab Ecclesiæ Parocho denegaretur, eo quod privilegium hoc Pontificum decretis repugnaret; contrariæ enim Religionis addictos in Cœmeteriis Catholicorum sepelire Canonibus adversatur: attamen Parochus Anglo sepulturam concedere à prætore Civitatis Patavinæ per viam juris adactus fuit.] Ita ille.

3. Sed ego puto cum Filliucio, *tr. 1. tr. 22. c. 7. n. 229.* & Trullencho, in *Decalog. tom. 1. lib. 1. c. 3. dub. 14. n. 1.* ut Hæretici sint privati Ecclesiastica sepultura, non esse necesse, ut sint nominatim denunciati; sed satis esse, manifestè constare ipsorum hæresim: nam hoc specialiter cautum est in Hæreticis propter criminis enormitatem: debet enim Hæreticus ita notoriè decedere, ut nulla tergiversatione ejus malitia celari possit: alijs privati non debet sepultura. Et hanc opinionem tenet etiam Castus Palaus, *tom. 1. tr. 4. disp. 4. punct. 4. n. 1.* sic asserens: [Non est dubium, Hæreticum, utpotè excommunicatum, privatum esse omni officio, & munere, quo excommunicatus privatus est. Quapropter neque potest Sacramenta recipere, neque ministrare, neque actum Ordinis exercere, neque alia munia obire, quæ interdiciuntur excommunicato: Quod si moriatur, caret Ecclesiastica sepultura, cap. Sicut, de Hæret. in fin. Et cap. Excommunicamus, c. 1. §. Credentes de Hæreticis. extenditur ad Hæreticorum fautores, & defensores: debet autem Hæreticus ita notoriè decedere, ut nulla tergiversatione ejus malitia celari possit, alijs privati non debet sepultura. Quod si, non obstante hac notorietate, sepelire illum præsumptis, excommunicatione innodaris, ex cap. Quicumque de Hæreticis, in 6. & ibi Glossa, & suspectus de hæresi redderis.] Hæc Palaus. Et idè optimè observat Baldellus, in *Theol. mor. tom. 2. lib. 1. disp. 42. num. 1.* quod cum Hæretici non sint vitandi, nisi quando à Iudice sunt denunciati; rectè colligitur generaliter, quod non peccent, qui cum illis liberè tractant, & conversantur, etiam si certò sciant eos esse Hæreticos excommunicatos; imò etiam si id sit notorium, & publica voce circumferatur; & si id accidat in iis locis, in quibus hæreses imponè grassantur, verbi gratia in Anglia, & Germania; siue in alijs quibuscumque. Ex quo principio colligitur specialiter, quod non peccant, qui cum Hæreticis quibuscumque

cumque non denunciatis simul orant, vel Concionem sacram, aut Missam audiunt, more, & ritu verè Catholico, vel eorum funus comitantur, eosque ad sepulturam deducunt, quando sepeliuntur more Hæreticorum. Quia hæ communicationes, cum sint in rebus licitis, licitæ omnino sunt, quantum est ex rei natura; neque sunt illicitæ ratione excommunicationis, & censuræ, cum hæc non operetur obligationem vitandi, etiam in divinis, nisi sequuta denunciatione. Et quemadmodum licitum est comitari excommunicationem viventem, non denunciatum, eumque deducere, quocumque voluerit: ita & est licitum comitari jam mortuum, ejusque funeri adesse, eumque deducere ad sepulturam; cum universaliter licitum sit in iis omnibus communicare defunctis, in quibus est licitum communicare vivis, cap. *Sacris de sepult.* cap. *Ad hæc de privil.* Sed hoc advertit Baldellus procedere, dummodo sepultura non fiat in loco sacro: quia, ait ipse, licet excommunicatus quicumque non denunciatus non sit vitandus in sepultura, aut in funere, quando est mortuus; sicut nec fuit vitandus, sive in divinis, sive in humanis, cum esset vivus, ut paulo ante diximus ex cap. *Sacris de sepult.* & cap. *Ad hæc de privileg.* vitandus tamen omnino est, quando funus, & sepultura fit in Ecclesia, aut loco sacro; non, quia hæc obligatio inducatur per excommunicationem non denunciati à iudice; sed quia inducitur ex ipsa rei natura, ex qua malitiam contrahunt, & digni sunt morte, non solum qui mala faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, ut patet ex Apostolo ad Rom. 1. quod certè est verum, etiam præcendendo ab excommunicatione, & sive illa sit denunciata, sive non. Vnde ex his patet responso ad argumentum adductum ab Henriquez.

Sup. hoc sup.
in fine ref.
70. & in
ref. 71. §. vlt.
ad medium.

4. Si autem inquiras, an Ecclesia, in qua sepelitur Hæreticus, modo quo *supra*, remaneat polluta? Respondeo negativè: quia execratio, vel profanatio Ecclesiæ, aut loci sacri per sepulturam excommunicati, ea tantum de causa inducitur in sacris Canonibus, quia non debemus communicare mortuo, cui non communicavimus vivo, cap. *Sacris*, & cap. *Ad hæc, cit.* & idè nec debemus celebrare Missas, & divina Officia, ubi ille jacet mortuus, & tumulatus: sicut nec debuimus celebrare, ubi ille extitit vivus. Ex his inferitur, quòd non inducitur dicta execratio, vel profanatio Ecclesiæ, aut loci sacri, nisi per sepulturam excommunicati vitandi, cum quo solo ratione excommunicationis prohibemur modo communicare in divinis, post Extravag. *Ad evitanda*. Et ita hanc sententiam tenet Baldellus, *loc. cit.* firmans ex supradictis, quòd per sepulturam Hæretici excommunicati non vitandi, non execratur, nec profanatur Ecclesia, aut locus sacer.

Sup. hoc in
tom 2. tr. 8
ref. 4. & lege
§. ejus an-
not.

5. Notandum est hic obiter cum Trullench. *tr. de jure Parochie*, c. 9. dub. 6. n. 10. quòd si aliquis reperiretur mortuus in puteo, vel laqueo suspensus, non est statim privandus Ecclesiastica sepultura: quia, ubi non constat, quòd seipsum interfecerit, vel precipitaverit, non id est præsumendum, cum potuerit per insidias, aut vim in puteum projici, vel suspendi, aut ex furore, seu mentis alienatione id facere.

RESOL. LXXIII.

An Sacerdotes in domibus suis audientes Lectorem legum, vel medicum incidant in excommunicationem?

Et quid de Regularibus?

Et quid est dicendum si supradicti studeant legibus civilibus in scholis publicis, quatenus conducunt, vel possunt conducere ad notitiam Canonum?

Et an hoc intelligatur in foro interiori, nam in foro exteriori semper præsumuntur excommunicati? Et an Diaconi, & Subdiaconi non comprehendantur subdita prohibitione, & excommunicatione, nisi sunt personatus. Ex part. 3. tr. 5. & Milc. 1. Refol. 17.

§. 1. Affirmativè videtur respondendum ex auctoritate Filiucci, *tom. 1. tract. 1. cap. 7. num. 103.* & Suarez, in *censur. disputat.* 23. sect. 3. numer. 19. & aliorum.

2. Sed tu contrariam sententiam tene, quam docent novissimè Barbosa, in *collect.* tom. 1. lib. 3. tit. 10. cap. vlt. num. 3. Squilante, de *obligat. cler.* part. 2. dub. 8. Homobonus, de *statutis* p. 1. c. 18. num. 6. Gambartupa, de *casibus reserv.* c. 9. n. 6. Villalobos, in *summa*, tom. 1. tr. 17. diff. 28. n. 4. & Sanctarellus, *tr. de Apost.* cap. 2. dub. 3. num. 21. & alij penes ipsos. Dico igitur, in excommunicationem latam in cap. super *specula*, ne Clerici, vel Monachi, &c. non incurrere Sacerdotes seculares, & Regulares habentes privatim in domibus suis lectorem legum, vel medicinæ, qui eos doceat privatim has facultates.

3. Imò nec incurrunt hanc excommunicationem prædicti, si studeant legibus civilibus in scholis publicis, quatenus conducunt, vel possunt conducere ad notitiam Canonum. Ita Sanctarellus, *loc. cit.* & Barbosa, n. 7. & Squilante, de *oblig. cler.* part. 2. dub. 18. n. 17. & alij penes ipsos.

4. Sed nota hoc verum esse in foro interiori, nam in foro exteriori præsumerentur excommunicati. Notandum est etiam, quòd Diaconi, & Subdiaconi non comprehenduntur sub dicta prohibitione, & excommunicatione, licet beneficium habeant, nisi sit personatus. Ita DD. citati.

RESOL. LXXIV.

An si mandans, vel consulens revocet mandatum, vel consilium, incurrat adhuc excommunicationem, si delictum, hoc non obstante committatur?

Et quid, si revocatio non innotescat mandatario?

Et quid est sentiendum de irregularitate?

Et an teneatur restituere damna ex tali homicidio emersa?

Et si mandans homicidium mortuus fuerit, antequam mandarius occideret, non contrahat excommunicationem, quæ solum ligat viventes, non autem defunctos?

Ex part. 5. tr. 9. Ref. 8.

1. 1. Affirmativam sententiam docet quoad consilium Bonacina, de *cens. in com. disputat.* 1. quæst. 1. punct. 6. num. 7. Molina, de *Iust.* tom. 4. *disputat.* 1. quæst. 1. punct. 2. num. 27. & Coninch, de *Sacrament.* *disputat.* 14. dub. 15. quæst. 6. a num. 176. & ratio est, quia in tali casu mandans, aut consulens, verè est contumax, seu inobediens Ecclesiæ, quæ quidem prohibuit mandatum, aut consilium, & hoc sub censura, ergo.

2. Verum ego negativæ sententia tanquam probabiliori adhæreo, quam tenet Tabiena, *ver. excom.* c. 1. n. 35. Avila *part. 2. c. 5. disp.* 3. dub. 7. Sayrus, lib. 3. c. 26. n. 33. & novissimè Hurtado, de *cens.* in *com. disp.* sic. 15. num. 67. quia per revocationem, seu per rescissionem ex se efficacem cessat, imò destruitur inobedientia habitualiter perseverans. Ecclesia autem supposita institutione censurarum, vel non potest validè, vel non intendit ligare censuram eum, qui ante incursionem jam non est inobediens adhuc habitualiter, sed penitens efficaciter, sicut etiam debet absolvere à censura incurra eum, quem efficaciter